

Alte Drucke

Liber Quartus Psalmorum, In Quo Grande illud de Redemptione totius Adami, rerumque omnium ejus gratiâ Restitutione, Mysterium, hactenus Mundo ...

Serrurier, Pierre

Amsterodami, 1668

Psalm. XCVIII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:hbz:ha33-1-173812

perceperint, præ gaudio exultabunt, & de judiciis DEI ex corde gloriabuntur. En hæc sunt Effecta & Operationes tam Cœlo quàm Terrâ conspicuæ, hujus Magnificentissimi Regis Secundi in Mundum Introitus. Sequitur

Tertium hujus Psalmi Caput, quod est Consolatio ad eos directæ, qui DEUM amant & Justitiam operantur; vers. 10, 11, 12.

10. *Qui diligitis Jehovam, odio habete malum: custodit animas misericordium suorum; & manu impiorum eruit eos.* 11. *Lux lata est Justo, & rectis corde Latitia.*

12. *Latamini justi in Jehova, & confitemini memoria Sanctitatis ejus.*

Posset quidem hæc Consolatio, hodierno afflictionum & expectationum tempore applicari, ad nos interim roborandos in spem gloriosi istius successus, quo tandem fruuntur qui verè DEUM amasse & Justitiam exercuisse tunc reperiuntur: Sed, quia hic Psalmus propriè Magnum illud Sabbathum spectat, post quod iterum Solutio quædam Satanae sequutura sit, nec non & alia inter Terræ Incolas Seductio quædam; idèd satius duxi hanc Consolationem sumere, velut præmonitorium quid, & præcautionem, ne quis in diebus Gogi & Magogi se tam facile à Malo devinci ac seduci patiatur; sed malum potius odio habeat & justitiam diligat, quo semel perceptum à Domino gaudium, firmum & constans perpetuè maneat. Tanquam si dixisset Psalmista. *Vos qui Dominum, per apparitionem suam & gloriosum in Regnum suum introitum, diligere semel capistis, videte ut dehinc porro Malum odio habeatis; utpote scientes & vivâ experientiâ edocti, quam Deus animas Sanctorum præservat, & è manu & potestate Impiorum eripit. Si cum SIONE & omnibus Jehuda filiabus libenter gaudere, & continuè in luce & latitiâ Cordis permanere cupitis; sci tote, Quod Lux lata est Justis, non vero injustis: & quod latitia sit pro Rectis Corde, non pro insynceris animo.* Unde reverà dicere possum, *Latamini Justi in Jehova, &c.*

PSALM. XCVIII.

SEU

Septima CANTICI de Magno Sabbatho Pars, quæ itidem Electorum vox & Tuba quinta est, per quam omnes Terræ Incolæ ad DEI laudem & cultum excitantur, occasione sumptâ à Pop. Israëliti in Terram suam reductione, & gratiosa DEI, sui Pacti cum Patribus transacti, recordatione.

1. **E***Ia, Novum JOVÆ carmen cantate, Novisque
Laudibus ad cœlos tollite Sacra DEI!*

I 3

Fecit

*Fecit enim quæ sunt præclaris digna trophæis,
Dextra Dei & brachii vis manifesta patet.*

2. *Notam quippe suam longè dedit ipse Salutem,
Iustitiæque decus Gentibus exeruit.*
3. *Estque recordatus veterum Misericentis Amorum,
Et pacti Isaci dū fœderis in Populo.
Ecce omnes Terræ fines videre salutem,
Quam nunc in Populo præstitit ille suo.*
4. *Eja, omnis Terræ populus sua júbila tollat;
Exultate, & mox vociferate simul!
Totus aër Psalmis resonet, Nomenque JEHOVÆ
Fortius intenso surgat ubique tono!*
5. *Nec clamore modò, ast forti clangore Tubarum,
Et Citharâ & fidibus concelebrate Deum!*
6. *Clangite voce Tuba resonâ, nova Júbila Regi
Tollite, det letos Buccina magna modos.*
7. *Testenturque suum Maria omnia, & omnia Mundi
Flumina letitiam, & quicquid inest in eis!*
8. *Applaudantque Deo Montes, & quicquid in Orbe
Terrarum spirat, gaudia ne taceat,*
9. *A facie REGIS, qui nunc moderarier Orbem
Venit, & optatâ pace beare suos.
Hic demum sancto Mundum moderamine, & omnes
Terrarum Populos jure reget Patrio.*

Proximè præcedens Psalmus, seu Tuba, spectabat Primogeniti in Mundum reintroductionem, prout docet D. Paulus ad Hebr. i. 6. Hic verò Psalmus, seu hæc Tuba, Domum Israël propriè spectat, ejusque in Terram patriam restitutionem, quâ DEUS Misericordia & Veritas, adeoque ejus Salus, in conspectu omnis Carnis manifestabuntur. Et justâ certè de causâ incipit hic Psalmus, perinde ac Psal. xcvi. cum *et Cantate Jehovæ Canticum novum*: est enim ejusdem argumenti Tuba tertia, ad provocandum omnes terræ Incolas ad DEUS laudem & cultum: exceptò, quòd Psal. xcvi. ejusque appendix Psal. xcviij. illa potissimum Magnalia spectarint, quæ in Christo tunc conspiciuntur; hic verò, illa, quæ in Domo Israël tunc temporis palam spectabuntur. Et quemadmodum utrumque (scilicet:

(scilicet: tam Majestas & gloria personæ J. Christi in sua apparitione, quàm Salus Domui Israël parta) Novum quid erit, nunquam antè cogitatum vel auditum, ita & meritò Canticum quod illa occasione cantabitur, Novum dici mereatur. In quo duo notamus Capita: scilicet

- I. Mirabilia illa, ad quæ propriè respicitur, vers. 1, 2, 3.
- II. Modus, quo eapropter Dominus sit laudandus & glorificandus, vers. 4, 5, &c.

Quod Primum attinet, illud continetur versibus seqq.

Vers. 1. Psalmus. *Cantate Jehovah Canticum Novum, quia mirabilia fecit: servavit eum dextra ejus, & brachium Sanctitatis ejus.* 2. *Notam fecit Salutem suam, in oculis Gentium revelavit justitiam suam.* 3. *Recordatus est Misericordiæ suæ, & Veritatis suæ Domui Israël: viderunt omnes fines Terræ Salutem Dei nostri.*

Quia, nempe ille Jehova, decujus Majestate & gloriâ loquutum duobus proximè præcedentibus Psalmis, & quem Paulus ad Hebr. 1. 6. & Col. 1. 15. *Primogenitum* nominat: Ille heic dicitur Mirabilia fecisse. Si autem scire vis, quæ sint hæc Mirabilia? hoc te docebunt sequentia, ubi dicitur. *Servavit eum Dextra ejus, & brachium Sanctitatis ejus. Notam fecit Salutem suam, in oculis Gentium revelavit justitiam suam, &c.*

In Summâ, consistunt hæc Mirabilia I. In eo, quod J. Christus, Benedictus in sæcula, per se-ipsam suam Creaturam salvaverit, abolendo peccatum per sui-ipsius Oblationem, Hebr. ix. 26. vel per suum ipsius Sanguinem unicam Liberationem præstans, vers. 12. Quis unquam talem Regem vidit? vel de tali Domino unquam audit? qui ut Salutem & Redemptionem subditis suis acquireret, sibi-ipsi non pepercit, sed usque in mortem ultrò tradidit! Et tamen hoc illud est, quod heic intelligitur, & ad quod totus Mundus, quando rem cognoscet, in summam rapietur admirationem. Atqui de hac Salute dicitur *quod eam Dextra ejus acquisivit, & Brachium Sanctitatis ejus*; quæ certè mira expressio est, & digna scrutinio diligentiore, si fortè Mysterium quod heic latet aliquo modo assequi daretur. Notum est in CHRISTO duplicem fuisse potestatem, quâ suos salvare poterat. Erat in eo quædam *Potestas Roboris*, quâ vi manifestâ tam suos quàm nostros Inimicos devincere, & solo verbo dejicere, & tanquam vasa figulina conterere poterat; Et erat alia quædam *Potestas Patientiæ & longanimitatis*, per quam denique confusi reddentur omnes ejus adversarii, eique palmam concedere cogentur. Prior illa Potestas vocari potest, *Sinistra ejus manus*; sed Secunda, *Dextra ejus & Brachium Sanctitatis ejus*. Illa est Potestas, quam quidem Regibus, Principibus, Magistratibusque Deus communicat; qui per vim, & manu elatâ homines sub obedientiam cogunt. Hæc verò est Potestas quæ solis Electis datur, & quam intelligit Apostolus, quando, pro Colossensibus orat, ut DEUS eos roboret Robore gloriæ suæ: ad quid? nempe *ad omnem patientiam & longanimitatem cum gaudio*. Colof. 1. 11. Utraque hæc Potestas in Christo manifestabitur, quando cum Sanctis Angelis suis veniet, sessurus in Throno gloriæ & Majestatis suæ, prout eò spectat totum hoc Magni Sabbathi CANTICUM. Tunc enim *Hadi*, super quos veniet Judicium Condemnationis, collocabuntur

ad

ad Sinistram ejus; & *Oves*, quæ confortes Regni sunt futuræ, ad Dextram ejus. Matth. xxv. vers. 33. Utpote quum hæc Salus, & Regnum hoc, propriè Opus sit futurum, quod Dextra ejus & Brachium Sanctitatis ejus sibi acquisivit; Condemnatio verò, Opus Sinistræ ejus.

Deinde, in eo quoque consistunt Mirabilia hæc, quòd non solum Electi & Sancti hanc Salutem agnoscent; utpote de eà tam externè per Euangelium quàm internè per Spiritum Christi instructi: Sed quod etiam, in testimonium omnibus Populis, Dominus D E U S hanc Salutem suam notam reddit toti Mundo; prout disertè innuitur vers. 2. *Notam fecit Jehova salutem suam, in oculis Gentium revelavit Justitiam suam.*

Usque ad tempus Magni hujus Sabbathi mansit utique hæc Salus Domini, ut & Justitia ejus, (nempe Justitia fidei, quæ omnes hæcenus Sancti Justificati fuerunt, & digni habiti ad Salutem hanc hæreditario jure possidendam) ab oculis Gentium abscondita: Ast illo tempore demum manifestabitur: *Omnis caro videbit salutare Dei*, Luc. 3. 6. Et quod plus est, vera illa Justitia, quæ coram D E O valet, etiam Gentibus revelabitur. Ast dicet fortè quis: *Quo pacto hoc fiet?* Ad hoc respondet Psalmista, cum addit

Vers. 3. *Recordatus est Misericordia sua, & Veritatis sue Domui Israël: viderunt omnes fines Terræ salutem Dei nostri.*

Hoc ipso significans, Domum Israël fore medium illud, per quod D E U S Salutem suam manifestabit, & Justitiam revelabit, in oculis Gentium. Quando enim videbunt Gentes, quid Dominus Domui Israël fecerit, quomodo ille tam diu dispersas Oves suas, in proprium suum Ovile iterum recollegerit, & mortua aridaque ipsorum Ossa iterum vivificaverit; & quomodo Misericordiæ & Veritatis suæ, de quibus ad Patres eorum erat loquutus, recordatus fuerit: Quò spectant & illa verba B. Virginis, quando in Cantico suo de D E O dicit: *Quod suscepit puerum suum Israël, ut recordaretur Misericordiæ suæ, prout locutus est Patribus nostris* (nimirum Abrahamo & semini ejus) *in æternum.* Luc. 1. vers. 54. Nec non & illa Zachariæ, Patris Johannis Bapt. ubi de Redemptione, quæ tunc instabat, agens, hæc omnia eo fine fore dicit, *Ut uteretur Misericordia erga Patres nostros. & memor esset Testamenti Sancti, & jurisjurandi quod juravit Abrahamo Patri nostro,* &c. Luc. 1. vers. 72, 73.

Nam quemadmodum tunc, tempore Nativitatis C H R I S T I, seu Primi ejus Adventus, hæc D E I Misericordia, nec non & Veritas in complendo Testamento S. & jurejurando Patribus præstito, velut Sol erat Matutinus, qui ortum habebat in Oriente; Ita nunc, tempore Magni hujus Sabbathi, quando, in *Secundo Christi adventu* denuò introducitur *Primogenitus in Mundum*, hæc eadem Misericordia & Veritas, nec non & Testamenti & Iuramenti Abrahami præstiti adimpletio, erunt haud aliter ac Sol Meridianus, in pleno suo fulgore ac vigore, ad Salutem & Justitiam Dei toti Terrarum Orbi manifestandam.

In primo C H R I S T I adventu impletæ quidem fuerunt plurimæ insignes Prophetiæ, & Promissiones D E I, utpote, de Semine Mulieris, quod Caput Serpentis esset contriturum. Gen. 3. 15. De Semine ex Abrahamo suscitando, in quo omnes Familiæ Terræ essent benedicendæ, Gen. 22. 18. De Filio illo, qui
semel

semel ex Virgine erat nasciturus. Esa. 7. 14. De Puero, cujus humeris Principatus erat imponendus, & cujus Nomen diceretur *Admirabilis, Consiliarius, Deus Fortis, Pater aternitatis & Princeps Pacis*. Esa. 9. 6. Et ejusmodi innumeræ plures; Ast in hac Primogeniti reintroductione seu secundo Christi Adventu, implebuntur demum illæ Prophetiæ & Promissiones, quæ totam spectant Domum Israël; Quales sunt illæ, quæ agunt de Populi ex omnibus Terræ finibus relectione: Exempli gratiâ, Deut. 4. 30, 31, &c. Item 30, 31, & 32, 36. Esa. 11. vers. 11, 12. Item 14. 1. Jer. 31. 4, 5. Item 32. 37. Ezech. 20. vers. 21. Item 37. 21, 22, 23. Ose. 3. 5. Mich. 2. 12. Inprimis adimplebitur tunc illud, quod prædixit & promisit Dom. Levit. xxvj. 42. *Se nempe recordaturum Patris sui cum Iacobo, & Patris sui cum Isaac, & Patris sui cum Abrahamo, &c.* Et vers. 45. *Se recordaturum propter eos Patris priorum, quos eduxerat ex Terrâ Egypti in oculis Gentium, ut nunc quoque Filios, eorum ex Babylone & omnibus terra finibus, in quos dispersi fuerint, reduceret: Non alio fine quàm ut Nomen ejus etiam in oculis omnium Gentium glorificaretur.*

Hactenus quidem ex Christi Nativitate, & primo Adventu, vidimus, quod Salus & Justitia ejus multis in Israël fuerint revelatæ; Sed quando aliquando Primogenitus, in Secundo Christi adventu, reintroductus fuerit, tunc videbimus, quod Salus & Justitia Dei, adeoque & ejus Misericordia seu Benignitas, nec non & Veritas seu Fidelitas, Domui Israël præstita, non solum à toto Israël agnoscentur & deprecabuntur; sed & ab omnibus quoque Gentibus & Populis, in toto Terrarum Orbe.

Inde à Primo Christi adventu & Euangelii inter omnes creaturas propagatione, multi quidem ex Gentibus hinc illinc excitati fuere, qui in Primitiis Agri istius, hoc est in primis ex gente Judaicâ fidelibus, velut Apostolis & aliis, salutem & Justitiam Dei, & per consequens quoque ejus Misericordiam & Veritatem, viderunt & receperunt; sed hoc tempore, quando semel totus Israël salvatus erit (prout futurum monet & inculcat Paulus, Rom. xj. 26.) & quando hæc Misericordia & Veritas Dei, de quibus per Os omnium Prophetarum suorum locutus est Deus, in totâ Domo Israël conspicietur; tunc demum omnes fines Terræ, (id est quotquot in Terris degunt Populi, Salutem, seu Salutare Dei, videbunt. Nempe, videbunt oculis suis impleta omnia isti Domui facta Promissa; Quomodo Deus arida & mortua ipsorum Ossa vivificaverit iterum, eosque in Terram Patriam reduxerit: Quomodo in Israël Regnum restituerit, & Regno Metropolim suam; idque in forma tali, quæ nulli amplius destructioni aut ruinæ obnoxia sit futura. Videbunt quomodo Deus ipse in illorum Palatiis habitet, se prostendo eorum Deum, & eos sibi Populum esse, ipsis potestatem dans in omnes suos Inimicos, & eos suâ Iustitiâ & sanctitate, velut veste nuptiali, induens. In summâ, ut paucis multa complectar, videbunt adimpletam consolationem illam, quâ fruentur omnes lugentes in SIONE, Quomodo eis pro cinere dabitur gloria, pro lactu oleum gaudii, pro Spiritu conficto Pallium Laudis, ut vocentur Arbores Justitiæ, Plantatio JEHOVÆ in qua glorificetur DEUS. Esa. 62. 3, 4. En, hæc sunt Mirabilia illa, de quibus hoc in Cantico.

Secundum hujus Cantici Caput, scil: Modus, quo Dom. sit laudandus & glorificandus; exprimitur, vers. 4.

4. *Jubilare JEHOVÆ omnis Terra: vociferate & exultate & psallite.* 5. *Psallite Jehovæ in Citharâ, in cithara & voce Cantus.* 6. *In Tubis classicis, & sonitu Cornu, Jubilate coram Rege Jehovâ.* 7. *Tonet Mare, & plenitudo ejus: Orbis, & habitantes in eo.* 8. *Flumina plaudite manu, simul montes exultent.* 9. *Coram Jehovâ, qui venit judicare Terram; judicabit Orbem in justitiâ & populos in reâitudine.*

Posito pro fundamento, quod jam hæc Mirabilia etiam in oculis Gentium sint revelanda, jam proponitur quoque non Israëlitis solum, seu toti Domui Israëlitis, sed & toti Terrarum Orbi, *Laudis celebranda Modus*; id est Omnibus Terræ Incolis; Imo & Terræ ipsi (modò intelligentiam haberet) ratione Beneficii quod ipsa inde reportabit. Consistet autem hic Laudandi Modus in duobus potissimum.

1. *In Laude ipsâ*, Jubilate Jehovæ, vociferate & exultate & psallite, &c. 2. *In relatione*, ad quem & coram quo celebranda sit hæc Laus. Nempe ad Jehovam, & coram ipso: *Coram Jehovâ qui venit judicare Terram, &c.* vers. 9.

Modus hic Laudis est (1) cum Jubilatione, vociferatione, & voce Cantus, vers. 4. (2) cum Voce & Cithara simul. vers. 5. (3) cum Buccinis & Tubis, vers. 6. hoc est, omnibus Modis inter homines usitatis, occasione cordis cujusdam lætitiæ: quæ primùm solet erumpere in jubilationem; postea, in vociferationem seu clamorem, ad alios etiam ad eandem lætitiæ & gaudii consortium excitandos. At non solum in vociferationem & clamorem vagum, sed & in suavissimum Canticum, seu Hymnum spiritualem, ut cui plus insit devotæ intelligentiæ. Et quemadmodum homo, ad vocem suam reborandum, & Corda auditorum suorum magis afficiendum, Cantui suo Citharam conjungit; ita quoque monetur heic universa Terra, Domino tam Citharâ quam Voce Cantus psallere, vers. 5. Quod quidem illud ipsum est, quod Johannes, Apoc. v. à xxiv. Senioribus fieri videbat, quando Novum illud Canticum in gratiam Agni Dei erat cantandum, quomodo in Cithara caneant Canticum suum; vers. 8, 9. Perinde ac à Bestiæ triumphatoribus, qui ad vitreum Mare Canticum Moïsi ac Agni cantaturi, id similiter in Citharis Dei faciebant. Apoc. xv. 2, 3. Hoc ipso, tam se-ipsos quàm alios, eò fortius excitando, & unâ quoque harmoniam illam, quæ est inter Corpus & Animam, Carnem & Spiritum, Externum & Internum hominem, eò potentiùs exprimendo.

Denique, quum nec Cithara sonorum satis Instrumentum sit, ad ferendum aures eorum qui longiùs à nobis distant, jubentur heic Homines Jubilationibus suis addere clangorem Buccinæ & Tubarum; eò quod justum & æquum sit, ut hoc lætitiæ Canticum de salute Domui Israëlitis partâ, vel de Misericordia & Veritate illa DEI, manifestetur in oculis omnium hominum, & resonet per totum Terrarum Orbem. Qua de causa quoque istis Septem Angelis, qui aliquid annunciandum habebant quod totum Mundum concernebat, Septem Tubæ dabantur. Apoc. viij. 2. Et cap. xj. vers. 15. expressè dicitur, quod statim cum septimâ harum Tubarum, magna in Cœlis vox audiebatur, dicens: *Regna Mundi facta sunt Domini nostri & ejus Christi, & ille regnabit in sæcula sæculorum.* Quid est hoc aliud quàm quod heic in Textu nostro significatur, quando jubemur in *Tubis Classicis, & in sonitu Cornu jubulare coram Rege, Jehovâ?* Imò coram facie ejus,

ejus, qui venit judicare Terram, &c. Non solum ad destruendum in eâ Opus Satanæ, ad perdendum qui perdiderunt terram, illamque justitiâ & judicio stabi-
liendum; sed & ad judicandum Incolas ejus in Justitiâ & populos in rectitudine.

Atque ut sciamus, per Totam Terram non solum intelligi heic Incolas Ter-
ræ, sed & Terram ipsam; ut & ipsa suo Modo lætitiâ testetur; Notandum,
quod Spiritus Sanctus heic etiam Mare compellet & *quicquid in eo est*, nec non
& *Flumina & Montes*, similiter adhortans, ad gaudia sua, de hoc Jehovæ Regi-
mine testandum: cujus beneficio à Maledictione, servitute & miseriâ, quibus
hactenus propter hominem subjecta fuerunt, tunc liberabuntur, & gloriam Fi-
liorum Dei participabunt.

P S A L M. XCIX.

S E U

OCTAVA CANTICI de MAGNO SABBATHO Pars, seu
Tuba Sexta, quâ Regni hujus in Israël restituti Præstantia
& Sanctitas, præ omnibus quæ unquam, (etiam in Po-
pulo Dei) fuerunt Regna, extolluntur, & omni-
bus Terræ populis summè commendantur.

1. **I** PSE DEUS regnat, JOVÆ qui nomine claret.
*Hinc tu Terra omnis corripere metu !
Est ipsi sedes Cherubinos inter, ubi omnes
Cælorum Cives ejus ad ora pavent.
Quid faciant igitur Mundanæ pondera Molis !
Tincti homines vitis criminibusque suis ?*
2. Nec solum in Cælis sedet ipse ; in Monte SIONIS
Non minus Excelsus terribilisque DEUS.
3. Huc celebrare tuum Numen Nomenque tremendum
Turba hominum veniet tota pavore tremens.
4. Fortis, sed forti Rex inflammatus Amore, est ;
*Quæque agit is semper justa potenter agit.
O quam nota palam fecisti in Prole Iacobi
Rectum Iudicium Justitiamque tuam !*

K 2

5. Ex-